



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. Spiritus Sanctus vere in specie columbæ defenderit, ita vt externis
oculis cerni poßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

vt talis esset, quæ ab alijs perciperetur. Vnde sancti omnes, qui eas rationes asserunt, non obscure hoc supponunt. Et hinc etiam fit, illam apertionem non debere omnino metaphoricè exponi, quia sic exposita non significat aliquid sensibile signum distinctum à descensu columbæ, sed solum intelligentiam mysterij cœlestis, & spiritualis ibi reconditi: ergo cum illa apertio censetur facta propter specialem significationem, non solum metaphoram continet, sed veram mutationem in re factam, & sensibus obiectam significat. Et augeri potest vis huius rationis, quia Euangelistæ tria illa distinctè enumerant, cœlum apertum, columbam descendentem, & vocem de cœlo factam: ac duo posteriora intelliguntur aliquo modo propriè facta, & sensibus obiecta, inter sese distincta, ergo eodem modo interpretandum est primum, quod sit signum aliquod sensibile distinctum ab alijs duobus. Confirmatur præterea ex Marco, qui sub eodem verbo inquit. *Vidit celos apertos, & spiritum tanquam columbam*, sicut ergo intelligit sensibile, & externa visione vidisse columbam, ita & vidisse celos apertos intelligendum est. Vnde sicut dicens Marcus Christum vidisse columbam, non excludit quin alij viderint, ita etiam dum dicit vidisse celos apertos, non propterea solum ipsum vidisse putandum est. Neque etiam ex verbo Matthæi hoc colligi potest. Tum quia verbum illud: *Aperti sunt ei*. Ex Græco verbo verti potest, aperti sunt super eum, *ἐνεφανέν*. Quod dici potest, non quia ipse viderit, sed quia circa eum facta est illa ostensio, & explicari potuisset illo modo, etiam si ipse eam non vidisset; sed solum alij, qui aderant. Vel si ad cognitionem referatur, ita vt sensus sit Christum vidisse cœlum sibi apertum, non propterea excluduntur alij (vt dixi) quin idem viderint, sed explicatum est ab Euangelista illo speciali modo, ad indicandum mysterium, cœlos scilicet singulariter aperiri ei, qui baptizatur.

Calorum a-
pertio sensibi-
liter in
Iordanis sa-
lis, autem
oculis
visa.

Iansen.
Euthym.
D. Thom.

Calos in
Iordanem
visi intelli-
gendum
quomodo.

Secundo igitur probabilius fit, illam cœlorum apertionem externis oculis visam esse omnibus, qui aderant, & consequenter factam esse per externam aliquam mutationem in obiecto sensibili. Nam licet interdum fieri possit, vt iterum oculis aliquid videre videatur, non per mutationem obiecti, sed per solum impressionem speciei factam in oculo: tamen in præsentem non ita factum est. Quia quando ita fit visio, vt eodem modo obiectum ab omnibus videatur, signum est, non fieri visionem per huiusmodi impressionem solum in vidente factam, sed per mutationem obiecti, vt D. Thom. docuit (quamvis de re alia disputans) infra quæstio. 76. art. 8. Ratio verò est (quam etiam supra tetigi de visione imaginaria) qua hic modus est facilius, & magis proportionatus: tum ad sensibilem representationem: tum ad visionem, quæ omnibus præsentibus communis est. Ita ergo verisimile est factam esse illam cœlorum apertionem, vt Iansen. & alij recentiores docent, & prius significauerat Euthym. Matth. 3. & D. Tho. hic non repugnat.

Quod si tandem inquiras, quænam mutatio in obiecto facta, & in quo obiecto, seu corpore facta sit. Dicendum est factam esse in aere, qui in Scriptura nomine cœli frequentissimè appellatur. Nullum enim erat corpus propinquius, & aptius ad eam mutationem recipiendam. Modus autem esse potuit. Primum, quod reuera ipse aer diuinus sit, & in partes separatus: sed hoc difficultatem inuoluit, an spacium illud, quod erat inter partes diuinas interiectum, esset vacuum, vel quodnam aliud corpus illud occuparet. Secundo, formari potuit in aere species, seu similitudo aliqua apertionis, seu hiatus sensibilis, faciendo scilicet vt partes aeris ita oculos immutarent, vt apparet diuina, & distantes. Quod intelligi potest, si partes illæ, quæ separari videntur, densiores fiant, & lucidiores, ita vt ad illas possit vi-

Fr. Suarez. Tom. 2.

vis terminari: aer autem interiectus maneat rarior. Tunc enim videbuntur partes illæ inter se disiungi, atque ita cœlum aperiri.

SECTIO II.

Vtrum Spiritus Sanctus verè in specie columba descendit, ita vt externis oculis cerni posset.

Non hinc inquirimus id, quod ad ipsam personam Spiritus Sancti spectat, quia supponimus illam nec per sui mutationem descendere potuisse, sed solum, quia nouo modo representata est in ordine ad specialem gratiæ effectum, (vt latius i. par. quæstio. 43. differitur) nec ipsam secundum se oculis videri posse corporeis: sed solum in figura, vel signo sensibili (vt tractatur ex professo i. p. q. 12.) Agitur ergo hæc quæstio de ipso signo seu columba, sub cuius specie Spiritus Sanctus apparuit.

Qua in re primo certum est, columbam illam exterius oculis visam esse super Christum descendere, & in hoc omnes conueniunt. Primum, propter proprietatem verbi *videndi*, quod non oportet metaphoricè exponi de intellectuali, vel imaginaria visione: Vnde Augustinus libro 2. de Trinitate, capite 6. sic scribit. *De illa columba nullus vnquam dubitauit, quod oculis visa sit.* Secundo, quia non solum Christus, sed etiam Ioannes illam vidit, vt dicitur Ioannis 1. Ioan. 1. Tertiò, quia verisimilius est ita descendisse, vt ab omnibus qui aderant conspiciat, vt indicat Augustinus supra, & docent expositores omnes super Euangelia, præsertim Chrysostom. hom. 16. in Ioann. & probari potest omnib. rationibus superiori sectione adductis, & sequenti scilicet latius tractabitur, & confirmabitur.

Columba in
Iordane ap-
parens oculis
visa.

August.

Ioan. 1.

Chrysost.

Secundo certum est, siue illa columba verum fuerit animal, siue specie tenus duntaxat, non fuisse hypostaticè vnitam Spiritui Sancto, vt hic docet D. Thom. ad 2. cum Augustino loco citato, & Chrysost. hom. 11. in Matth. & est omnino certum. Non enim dicitur Deus factus columba, sicut dicitur factus caro aut homo, neque ad finem missionis, seu apparitionis Spiritus Sancti necessaria erat hypostatica vnio: sicut fuit ad finem Incarnationis, vt rectè notauit D. Thom. i. p. q. 43. articulo. 7. ad 4. Quia non apparuit Spiritus Sanctus sub specie columbæ, vt per illam aliquid operaretur merendo, aut satisfaciendo, sicut verbum per humanam naturam. Denique licet huiusmodi natura irrationalis non sit huius hypostaticæ vnionis omnino incapax, non tamen diuinā maiestatem decet illi vniri. De qua relatus in superiori tomo dictum est. Circa hoc verò obscurus est hocus Tertul. libr. de carne Christi ca. 3. vbi dicit. *Spiritus columba corpori illapsum descendisse super Dominum, qui Spiritus (ait) cum hoc esset, tam verè erat columba, quam Spiritus; nec interfecerat substantiam propriam assumpta substantia extranea.* Sed hæc verba vel corrigenda sunt, quia Euangelium non dicit Spiritum fuisse verè columbam, sed apparuisse quasi columbam: vel exponenda sunt iuxta ea, quæ statim dicemus.

D. Thom.
Augustin.
Chrysostom.

D. Thom.
Tertul.

His ergo positis controuersia est, vtrum illa columba fuerit verum animal, nec ne. Prima sententia est, fuisse verum animal de nouo à Deo creatum ad illud munus. Ita sentit Aug. libr. de agone Christiano. ca. 22. solet etiam tribui Chrysostom. hom. 12. in Matth. & 4. in acta, sed ijs locis reuera neutrum affirmat, sed solum docet Spiritum Sanctum non dici apparere in specie columbæ, vel ignis, quia naturam columbæ assumat, sed quia in his representatur. An verò sub illa specie vera fuerit natura columbæ, nec ne, non explicat. Ad hanc vero sententiam accommodari possunt verba Tertul. supra citata, vt

August.
Chrysost.

Tertul.

Y

sed

Anselm.
Hug. Card.
D. Thom.

sed veram columbam assumpsisse, non hypostaticè: sed vt in ea representaretur. Augustinum sequutus est Anselm. Matth. 3. & Hugo Cardinalis Ioann. 1. & nonnulli ex Scholasticis in. dist. 16. ac denique D. Tho. hic art. 7. qui vtitur ratione sumpta ex Augustino. Quia de cluit, vt Spiritus veritatis, nec dictione vteretur, nec homines falleret: hoc enim argumento concludimus Verbum assumpsisse veram hominis naturam quoniam alias non decepsisset. Sed (quidquid sit de assertionem) certum est rationem hanc non concludere. Eam enim in re simili dissoluit idem D. Tho. 3. p. q. 76. articulo. 8. ex doctrina eiusdem Aug. lib. 2. questionum in Euangelia, quæst. vltim. dicens: quando species aliqua diuinitus formatur, & ad veritatem aliquam significandam refertur, nullam esse deceptionem, sed veritatis significationem. Vt cum Christus apparuit discipulis euntibus in Emaus in specie peregrini, nulla fuit deceptio, etiam si ob eam causam contingerit alios decipi. Quia aliorum deceptio tribui non potest illi, qui verbis, vel factis vera significat sine intentione fallendi. Neque est eadem ratio de humana natura à verbo assumpta: Quia assumpta est non tantum ad representandum: sed ad existendum, & operandum, & ideo non solum dicitur Verbum apparuisse in specie hominis, sed factum homo: quod nequit esse verum sine vera natura hominis.

Columba in
baptismo su-
per Christum
descendens:
non fuit ve-
ra, sed appa-
rens.
Augustin.

Secunda ergo sententia est, columbam illam non fuisse veram sed tantum apparentem. Hanc docet Aug. epist. 102. Vbi late probat non oportuisse illam speciem columbæ vera informari anima, sicut nec vocem Patris, quæ in eodem baptismo audita est, per organa vitæ formari. Idem lib. 3. de mirabilibus Scripturæ, cap. 5. his verbis. Quamuis corporali specie Spiritus Sanctus super Dominum descendere dicitur, non tamen de aëribus assumpsisse columbam, sed ex aëre minime dubitatur. Quæ verba non possunt exponi solum de assumptione ad vnionem hypostaticam: alioqui posterior pars falsa esset, quia hoc modo nec veram nec apparentem columbam Spiritus Sanctus assumpsit. Videri tamen potest Augustini. his verbis solum negare illam columbam sumptam esse ex aëribus, quæ antea existerant, non tamen fuisse verum animal de nouo ex aëre procreatum. Sed huic sensui repugnat ratio, quam Augustinus subiungit, dicens. Nequaquam enim ex aëribus Spiritum Sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aëres in nulla transgressi sunt legem naturæ, sed & si in aliquo transgredierentur, non debuit à Spiritu assumi, vt ei delicti vindicta solueretur, cum neg. rationalis sit, neque eterna. Quæ ratio directè solum probat, naturam columbæ non esse assumptam à Spiritu in vnitatem personæ, hinc tamen cōsequenter voluit concludere non oportuisse, vt esset vera, sed tantum apparens, vt etiam in principio capitis dixerat, & insinuat lib. 2. de Trinitate. cap. 5. dum ait, Facta est quedam creatura species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus Sanctus, siue cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit, siue cum die Pentecostes, &c. Vbi etiam perpendendum est eodem modo loqui August. de columba, & de igne Pentecostes, quem & ipse August. dicta epist. 102. & omnes docent non fuisse verum ignem. Clarius videtur hoc docere Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 5. dicens. Non columba descendit, sed quasi columba: Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis veritatem: Spiritus autem Sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ.

Ambros.

Optat. Mile-
sit.
Greg. Naz.
Chrysost.
Theophyl.
Euthym.
Caietan.
Iansen.
Gloss.
Lyra.
Abulens.
D. Thom.

Huc accedit Optatus Milevitan. lib. 4. contra Parmenian. spiritale (inquit) oleum in imagine columbæ descendit. Nazian. verò orat. 39. solum dicit. Descendit vt columba corporeo modo conspecta. Et hoc ipsum videntur sentire Chrysost. Theophylact. & Euthym. Matth. 3. qui semper vocant speciem columbæ, seu quasi columbam: expressius verò id docent recentiores expostores, Caietan. Iansenius post Glossam Matth. 3. Lyra. Mar. 1. Abulens. quæstion. 84. & 85. art.

tertium caput Matth. & Procopius Genes. 1. 3. & hanc sententiam sequutus fuerat D. Thom. in 1. d. 16. art. 3. qu. vnica. Quæ videtur verisimilior: cui in primis fauent verba Scripturæ, quæ non appellat simpliciter columbam, sed tanquam, vel sicut columbam. Quod licet referri possit ad ipsam personam Spiritus Sancti, qui non potest dici simpliciter columba, etiam si illa esset verum animal, cum non eam hypostaticè assumpsisset, ideoque dicatur quasi columba, commodius tamen intelligitur de tota illa re, quæ apparuit: sicut enim Act. 2. dicitur apparuisse tanquam ignis, non solum intelligitur de Spiritu Sancto, sed & de specie externa. Coniecturæ verò sunt, prima, quia Deus nihil facit frustra, ad finem autem illius apparitionis satis superque erat imago columbæ, cum solum esset ad representandum: & (vt Augustin. dixit dicta epist. 102.) non minus declararetur omnipotentia, & sapientia Dei in hoc, quod ita illi creatura obtemperet, vt sine animæ viuificantis ministerio figura, motusque volucris eadem potentia creatoris ingeratur aspectibus, quam creando verum animal. Secundo quia post factam illam representationem, vel illud animal erat corrumpendum, & destruendum (vt Tertul. & alij authores primæ sententiæ factum esse fatentur, & ita superuacua fuisse illa creatio; præsertim cum Deus non soleat destruere ea, quæ condidit, quando aliqui ex propriis principiis, & causis corruptioni non sequitur. Vel permansura erat illa columba, vt peracto ministerio auolaret, sicut reliquæ aues, & hoc non erat ita decens, neque ad confirmandum miraculū necessariū vel ad modum vtile. Tertiò omnes aliæ apparitiones, quæ ministerio Angelorum in corporibus assumptis factæ sunt, ita explicantur, vt res non sint veræ, quæ apparent, nisi fortasse quando res apparentes sunt ita simplices, seu imperfectæ, vt non possint facilius representari, quam fieri, vt nubes, & alia res huiusmodi, non verò res aliæ perfectæ, ac viuentes. Neque enim tres viri, qui Abraham apparuerunt, fuerunt veri homines, & sic de cæteris. Non est ergo, quod in hac apparitione aliquid singulare, & inusitatum sine nouo fundamento fingamus.

Dubium.

Sed inquit tandem aliquis. Vtrum hæc columba apparuerit super Christum ante, an post baptismum eius, aut vtroque tempore. Quæ difficultas orta est ex verbo Ioannis, Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat. Hinc enim videtur sequi, antequam Ioannes Christum baptizaret, vidisset Spiritum descendentem, & manentem super Christum, quia antea illum cognouit: vnde fit ante baptismum descendisse columbam: & ita opinatur Caietan. Mat. 3. & alij, quos audacter loquutos esse meritis dixit Franciscus Tolletus Ioan. 1. annotat. 72 quia sine illo scripturæ fundamento id cōfingunt. Certum ergo fit columbam apparuisse, Iesu baptizato, vt dixit Lucas cap. 3. imò expresse Matth. c. 3. dicit post baptismum Christum ascendisse de aqua, & statim vidisse celos apertos, & Spiritum descendentem, quasi columbam; tunc igitur solum credendum est, columbam apparuisse. Nam si antea etiam descendisset, vidisset vtique illam Christus, & Euangelistæ aliquam illius mentionem fecissent, quod non solum non faciunt: imò in ipso narrationis modo indicant apparitionem illam fuisse nouam & insolitam. Ad difficultatem autem positam, iam supra declaratum est, quomodo Ioannes prius de facie ignorauerit Christum, & postea ante baptismum priuata reuelatione illum cognouerit absque signo externo: postea verò, publica reuelatione & apriori ad testimonium de Christo reddendum.

SE